Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1207
Quelle:
Copyright:

II. Sententiarum Petri Lombardi folio primo mulctatus ita, ut nunc initium sit: — — *sit in potentia passiua ad actum suum* &c. finis vero Libri I. *bene potest tamen esse ratio predeterminans ut recipiatur in decreto secundum dictum modum.* Jam Liber II. hoc rubro gaudet: *Liber secundus fratris Roberti concenen, ordinis fratrum minorum.* Atque ita Nota illa praevia in Theca etiam Autorem *Robertum Concenensem* adpellat. Incipit hic Liber: *Circa istum secundum librum primo queritur utrum in deo sit ponens aliquam potentiam in ordine ad rem extra creandam* &c. et finit: *sed voluntas preferendo vnum alteri secundum propriam libertatem. Explicit Liber Secundus.* Lectio admodum difficilis propter insolita scribendi compendia; verum Opus extra *Angliam* non minus rarum. Apud *Waddingum* in *Bibl. Ord.* p. 308. legas: *Robertus Concio Theol. Paris. scripsit Commentaria in IV. Libros Sententiarum.* Est et alius Gesnero in Bibl. *Couuton*, Waddingo *Contonius alias Cothon*, Oudino *Couton seu Cothon*, Fabricio *Conton, Cotton et Cownton*, Tannero *Cowton, Conton sive Cothon.* Atque omnibus his nominibus designari unum *Concenensem* nostrum haud dubito, diversitate partim orta e Librariorum ignorantia, partim e similitudine literae *t* et *c* illo aevo, cui *nuntium* et *nuncium*, *pretium* et *precium* et centum alia debemus. *Anglum* natione *Oxonii* primum, tum *Parisiis* literas excoluisse tradunt, atque hic gradu theologico et titulo *Doctoris Amoeni* insignitum fuisse circa an. 1340. ut adeo Codex noster illius aetatem facile adtingat. Scripta illius apud Literatores *citt.* habes; nemo tamen praeter *Gesnerum* in ejus seculo lapsum, *Oudinum* T. III. *col.* 934. et *Tannerum* in *Bibl. Brit. Hib.* p. 204. diserte ait: in IV. *Sententiarum Libros* commentatum fuisse.

DXVI.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 202. f. per duas columnas crassiuscule exaratus, coloribus distinctus et olim a celebri Mathematico nostro M. *Johanne de Gmunden*, qui a. 1442. vivendi finem fecit, donatus *pro Libraria collegij magistrorum Ducal.* hac rubrica gaudet: *Incipit primus sententiarum Magistri Landulfi Ord. M.* De hoc Viro domo *Caracciolo*, *Scoti* auditore, Lectore *Parisino*, mox in patria *Stabiarum* primum, dein *Amalphitano* Praesule, demum a. 1351. vivis exemto adeundus *Waddingus*, *Ughellus*, *Toppius*, *Fabricius*, qui post *Waddingum* ejus Scripta enumerat. Nostrum infit: *Fundamentum primum Jaspis*, 2^m^ *saphirus*, 3^m^ *calcedonius*, 4^m^ *smaragdus*, *Apoc. 21. Augustinus doctor preclarus sacre scripture fastigium describens* &c. et finit: *in quo regnabimus cum illa concione beata exultantes in secula seculorum. Amen.* Subjecta est Quaestionum agitatarum Tabula. U. 441

II.